
HUMILIMA
ACCLAMATIO GRATULATORIA,
AD
SACRAM CÆS. MAJESTATEM,
PRO
RECUPERATA ILLIUS VALETUDINE.









SACRA CÆSAREA REGIAQUE MAJESTAS, &c.

IN maximo metu, in assiduo motu Tui causâ fuimus, *AUGUSTE*. Metuebamus simul valetudini tuæ & saluti nostræ, quæ à Tuâ pendet. Movebamur metu, ne TE moto tota moveretur è sede fortunæ suæ Germania, ac solveretur reliqua nutantis jam totius Europæ Compages. Etsi enim soló DEO, cujus vices in terris, Numen inter homines, sustines, dignitate minor es, naturæ tamen lege ne cæteris mortalium ante tempus æquaréris, summoperè timebamus. Hinc plena confluentium agminibus

templa,

templa, oneratæ ſacrificiis aræ, fatigatæ profuſis ad omnia pulvinaria precibus Cœleſtium aures, ſacra diligentiùs ſolito frequentata publicæ ſollicitudinis neceſſitatem teſtabantur. Privata cujusq; pietas ſui oblita pro Tuâ duntaxat, *PRINCIPUM OPTIME*, vitâ vota faciebat, ac *DOMINO DOMINANTIUM* pro *REGE REGUM* indeſinenter ſupplicabat. Ita clauſimus priorem Annum, ita præſentem cœpimus, neq; unquam ardentiùs quam in ipſo utriusque divortio thura fumârant, ne videlicet Anni vertentis converſio noſtram quoq; felicitatem verteret, novusq; Annus novam, ſed miſerandam humanis rebus formam indueret. Interceſſit formidini noſtræ ſuprema providentia, nullibi quàm in Auguſtorum Capitum curâ occupatior. Noluit illa primum ſecuturi decennii diem à tantâ clade auſpicari, quam nè integra quidem ſecula repararent. Inhibuit impetum Fatorum eadem manus, quæ fatis imperat, quæq; Fata *AUGUSTÆ DOMUS TUÆ*, LEOPOLDE CÆSAR, à primis ejus initiis ad hunc usq; diem, mirificè temperavit. Contenta ſpectâſſe metus noſtros, obſervâſſe

obſervâſſe motus, noluit evenire, quæ eventura verebamur. Miſerata periclitantis in uno Capite univerſi Corporis ſervavit Caput, ne corpus interiret, & ut Corporis ſaluti conſuleret, à Capite cœpit. Abſterſit ab oculis noſtris lacrymas, à vultu ſqualorem, à cultu ſitum, & quos unius diei nuncius afflixit, alterius lætitia erexit. Valemus, quia TU vales, *IMPERATOR*; lætamur, quia TU dolere deſiiſti. Non libet retrò flectere ſenſus, & quæ mens meminiſſe horret, luctuq; refugit, in memoriam revocare. Hoc enim uti paucis non poteſt, ita multis non debet, ne vel de incolumitate Tua, *CÆSAR*, vel de ſecuritate noſtrâ dubitare videamur. Pavores bonorum, ambitioſa improborum ſpes, & audacia vota, nihil avidiùs quàm mutationem rerum expectantia una dies genuit & extinxit. Superis gratias, quorum præſenti ope liberata Respublica eſt! Recipe denuò Tuum Germania *CÆSAREM*, Tuum Pannonia Bojohæmiaq; *REGEM*, Tuum *AUSTRIA* ſupremum ac Deo ſimillimum *PRINCIPEM*. Lætare Orbis ſalvo *CÆSARE*. Tuum *AUGUSTA MARITUM*, Tuum Regia ſoboles *PARENTEM* non humanæ artis conſilium, ſed

 divinæ

divinæ voluntatis beneficium non modò VOBIS, est, & hoc factum, sed universæ Europæ restituit. Hæc enim ut gemitus suos vestris, suspiria suspiriis conjunxit, ita sua jam vobiscum gaudia dividit, & regnatricis Domus vestræ triumphiis voce publicâ accinit, gnara, prospera vestrâ non minùs quàm adversa ad Orbis Christiani statum omninò pertinere. Nec sanè *TIBI* magis, *IMPERATOR*, quàm nobis de salute Tuâ gratulandum est, quæ quamdiu in ancipiti stetit, nostra quoq; fortuna, nostra tranquillitas, pari tecum periculo agitata est. Tunc demùm experimento constitit, quantum in Te uno momentum sit; quantiq; referat vitam tuam non nisi à fidis probatisq; manibus custodiri. Excubat, fateor, pro incolumitate Tuâ, idem oculus, qui *TUAM MAJESTATEM* suæ proximam constituit, qui *TE DIVIS MAJORIBUS* ortum, *ARCHIDUCEM* genuit, *REGEM* unxit, *CÆSAREM* elegit; sed illius pervigil geniùs humani famulitii ministerium, nec aspernatur, nec excludit. Sunt *TIBI, AUGUSTE*, ad manum, imò ad nutum fideles terræ, quos ipse nosti, qui TE nôrunt, qui vitam tuam suâ potiorem habent, quos felicibus boni seculi instru-

mentis

mentis, æqui meritorum æstimatores annumerant. His Corporis TUI custodiam, his Consiliorum summam, his Aulæ regimen tutò commisisti, ut qui non fortunam saltem in TE, (quod plurimis in more est,) sed TE in fortunâ Tuâ foveant, amant, venerantur. Facessant, & cum Furiis suis ad Orcum, unde venerunt, revertantur, si qui venenosi angues, viperarum infernalium geminia, intra mœnia urbis tuæ, intra sinum Regiæ latuerunt. Nostrum est conceptis pro salute Tuâ, *CÆSAR*, votis manus supplices sursum tendere, ut summus humani Moderator Orbis, qui jam deploratis penè rebus salutiferam manum velut è machinâ porrexit, ac præsens, quod Capiti Tuo, quod nostris omnium cervicibus imminebat discrimen, sive illud à morbo, sive ab insidiis, & machinatore doli Erebo fuit, miraculoso dextræ suæ robore opportunè discussit, Tui curam porrò sollicitè gerat, ac TE sospitem incolumemq; præstet, ut TU omnes, quotquot sub umbrâ alarum Aquilæ Austriacæ sine cupiditate, sine impotentiâ vitam degimus ambitionis ac avaritiæ stimulis vacuam, & TE salvo, TE, (quod unum omnium votum est,) vivo, atq;, ô quàm diutissimè! superstite, neq;

fallaces

fallaces peregrini floris delicias sectamur, neq; infestos Leonum ungues pertimescimus. Ita Fiat! prout religiosè vovet, qui Augustas Manus Tuas demissè adorat

NUMINI MAJESTATIQUE T.

devotissimus

N.